

Experimentum Vniuersale


Rari mysteria. Quare si pila vitrea seu plumbea B. A. D. sit aut sole aut igne calefacta, necesse est ut aeris densi pars in pila seu globo illo per tubam inflexam B. E. F. expiret in ollam aquæ plenam, atque ita per aquæ superficiem in forma bullarum exeat, At vero refrigercente globo vel pila illa paulatim, necesse est ut aer calore prius attenuatus iam iterum incrasset, sed quoniam pars aeris expirata est, ideo inter F. & A. spatiū atq; etiā in toto globo illo non sufficiens reperitur aeris portio, quæ aerem in vase contentum adeo spissum reddere potest, quam fuit antea, vnde fit, ut tantum aquæ in tubam inflexam sublimetur, quantum aeris subtiliatione effluxerit per aquæ superficiem: at vero illam aquam ita eleuatam paulatim atque gradatim iterum (radiis solaribus aut igne calefacientibus pilam) descendere videbitis, propter reiteratam subtiliationem aeris in pila: imo vero eo profundius descendet quo aer in pila comprehensus magis erit calefactus.

Sed quoniam non adeo fortasse facile est factu hoc instrumentum, nos aliud eiusdem plane naturæ & conditionis, & vulgari apprehensioni familiarius in hunc modum construximus.

CAP. I.

De Instrumenti experimentalis Fabrica.

In primis in promptu habendum est vas aliquod vitreum vel terreum, vnius Lagenæ quantitatem continens, cuius figura erit huiusmodi.



Quod vas aqua līpidissima taliter est implendum, vt non nisi vniqa eiusdem quartarē linquatur vacua: at vero, quoniam aqua simplex tempore hiemali glaciei impressionibus est obnoxia, vnde fit, ut gelu fixata neque sursum neque deorsum mouere queat, ideo vitrioli aurei quantitas in ea est dissoluenda, cuius vniōne non modo repelluntur atque propulsantur intensiores frigori impulsus, verum etiam aquæ aspectus iucundior & intuentibus altioris inuentionis atque artificii videbitur quam reuera est.

Tum postea ne istiusmodi machinæ fundamentum & operationis ratio omnibus pateat vas illud ita aqua impletum in pyxidem ligneam rotundam tanquam arcām occultam est includendum atque occultandum, forma cuius erit eiusmodi. In ipsius summitatis centro foramen, ad matracei infra describendi magnitudinem adaptatum, est faciendum: Pyxidis figura hic sequitur.

Denique